



## **Chronicon chronicorum ecclesiastico-politicum**

ex huius superiorisque aetatis scriptoribus concinnatum ; qua non modo pontificum, archiepiscoporum, abbatum, &c., set et doctorum armis literisque illustrium, dies natalis ... egregiaque eorum ... facinora ... breviter delineantur ...

**Gruterus, Janus**

**Francoforti, 1614**

De Pontificibus Romanis, Eorumque Constitutionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64659)

DE PONTIFICIBVS ROMANISEORVMQVE CONSTITVTIONIBVS.

**D**E omnium Ordinum Romanæ Ecclesiæ subiectorum hominibus sacris initiatis dicturi, quàm breuissimè restam latè patens, tamque altis antiquitatis, ac tot retro sæculorum abditis eruenda patietur, à quo potius initium faciamus, quàm ab ipso capite totius eiusdem Romanæ Ecclesiæ, quem Papam, seu alio nomine Pontificem Maximum dicimus. Igitur hic, siue Pontifex est eorum exemplo appellatus, apud quos vetustissimis quoque temporibus qualiumcumque tum sacrorum summum ius erat, quosque Scævola I. C. à posse & facere, Varro verò à pontis sublicii cura sic nominatos censet, seu Papa potius, quod Latinis sonat pater: sic enim ab ipso B. Ignatio III. post B. Petrū Antiochiæ Episcopo disertè Epist. i. & quidè his verbis indagatur: Πρὸς Μακεδὸν ἱεροῦ πειρὸς ἐν ἑσσι οὐ ἐν τῇ Ρώμῃ ἀπὸ τοῦ μακαρίου Πάπα Ανακλήτω, hic, inquam, Romanæ Ecclesiæ Princeps, originem dignitatis & prerogatiuæ suæ ad ipsum D. Petrum conditorem eius referens, absolutamque in vniuersum clerum habens potestatem, multa iam inde à principio ad nostra vsque hæc tempora, quibus ducentisimus trigessimus (vt amplius triginta octo Pseudopontifices mittam), per schisma, aut factionem creatos, ideoque in legitimorum numerum non relatos) ex ordine præest. & ad venerationem sui, & ad religionis propagationem, conseruationemque sanxit, edixitque nonnullis etiam

*Vide Varro, lib. 4. de lingua Latina.*



etiam ritibus, carimoniisque moribus atque usu ipso introductis, quibus res Ecclesiastica hodieque durat. de quibus ut distinctè paucis disseramus; priori loco de institutis ipsorum Pontificum, inde de his agemus, quæ ad eosdem quoque pertinentiam, non tam legi, quam obseruationi, atque usui debentur, longæq; atque inueterata consuetudini, quæ in multis pro lege, imò ante legem adeo est ipsam. Ergo ad ista quod attinet,

Alexander V. seu, ut volunt alii, VI. à Beato Petro Pontifex, & aquæ lustralis consecrationem, & aquæ cum vino Anno Christi.  
109.  
mixtionem Eucharistiæ; itemque ne communi in posterum & fermentato pane Eucharistia celebraretur; Traiani Imp. temporibus primus sanxisse fertur.

Telephorus ab Alexandro, quem diximus, secundus, hoc est, octauus, aut certè nonus ex ordine Papa, quadragesimalis ieiunii, quod sub Pascha præcipitur obseruationem. 127.

Pius, primus hoc nomine, successor Telephori, aut, ut alii, Hygini, ut Pascha die Solis siue Dominica celebraretur. 142.

Anicetus & ipse Pii I. successor tonsuram Ecclesiasticorum. 153.

Zephyrinus siue Seuerinus Papa XIV. vel ut alii XVI. ut vitreo calice Cœna Domini administraretur. 198.

Urbanus XVIII. Pont. ut censent Pontificiarum vitarum scriptores plerique, at huius nominis primus, ieiunium quatuor temporum. 223.

Antherus XX. in numero, ut vitæ martyrum per Notarios conscriberentur. 236.

Fabianus Antheri successor excommunicationem in eos, qui Ecclesiasticos iniuria affecissent. 237.

Dionysius I. Pontifex vigesimus sextus, definitiones prouinciarum, dicecesium & parochiarum. 260.



271. Felix, qui Dionysium in Pontificatu secutus est, dies festos, & solennes ritus templa dicandi.
310. Eusebius XXXII. Pontifex festum inuentionis S. Crucis.
311. Melchiades, eius successor, die Dominico non esse ieiunandum.
314. Syluester, Melchiadi item successus, extremam vnctionem, & vt chrisma à solis Episcopis consecratur.
336. Marcus XXXV. vt symbolum sub Euangelii recitationem canatur.
366. Damasus XXXVIII. vel vt alii XXXIX. vt Psalmi choris alternantibus canerentur, & ad cuiusque Psalmi finem accineretur Gloria Patri, &c.
384. Syricus successor Damasi, vt, qui viduam in matrimonio habuisset, ad sacerdotium non admitteretur.
398. Anastasius I. Syricio successus, vt ad recitationem Euangelii ab omnibus assurgeretur.
401. Innocentius XLII. inter Pontifices, sed hoc nomine primus, diei sabbathi ieiunium, & vt pax ante communionem daretur.
416. Zozimus eius successor, cereorum pridie pascha consecrationem.
423. Caestinus primus, alter ab Zozimo, Offertorii carmonias.
440. Leo I. Pontifex XLVII. vt Letania canerentur, Alleluia autem & Gloria in excelsis Deo, toto Quadragesimali tempore subtriceretur.
492. Gelasius LI. vt Biblia in Canonicos libros, & Apocryphos diuiderentur.
530. Bonifacius II. Pont. LVII. ne Episcopi successores sibi nominarent.
590. Gregorius I. Pont. LXVI. Missa introitum, & vt Kyrie eleeson nouies caneretur intra Quadragesimam.
604. Sabinianus Gregorii I. successor, vt horæ in primas, tertias, & nonas tribuerentur. sub eoq; campanas in vsu esse cœpisse quidam volunt.



Bonifacius III. vt Ecclesia Romana pro capite, & principi- e omnium Ecclesiarum haberetur.	605.
Bonifacius IV. immediatus Bonifacii III. successor, sanctum ab Agrippa olim dedicatum diis omnibus, con- struxit B. Mariæ, & omnibus sanctis, passim tum multis pro orbe aut templa noua ædificantibus, aut veteribus, pro gentiliū nominibus numinum, sanctorum nomina aduentibus.	606.
Bonifacius V. alter ex ordine à Bonifacio IV. Pont. Ec- clesias a Syria esse iussit.	617.
Eugenius I. Pontifex LXXVII. Carceres ab Episcopis ferri voluit, in quibus Clericos ipsi punirent. Monialesque ad quos graui causa monasterio suo exire vetuit.	654.
Leo II. Pont. LXXXII. Baptismum quotidie administra- re permisit.	682.
Sergius I. Pont. XXCVI in Missa ter cani iussit, Agnus Dei.	687.
Zacharias Pont. XCIII. vetuit vendi infidelibus Chri- stianos.	741.
Hadrianus II. Pontif. CIX. Imperatoris suffragium ad Pontificis electionem nullo modo necessarium censuit.	867.
Innocentius II. Pont. CLXXI. excommunicauit, sacris- que interdixit iis, qui sacerdotem verberassent.	1130.
Innocentius IV. Pont. CXXCVII. Cardinalibus rubros paleos gestandos dedit, Monachorumque multas orientes cum familiis variis donauit immunitatibus.	1243.
Urbanus IV. Pont. CXXCIX. festum Corporis Christi instituit.	1261.
Bonifacius VIII. Pont. CC. Iubilæum instituit.	1294.
Bonifacius IX. Pont. CCX. vel vt alii CC. Laiunt, non- nulli etiam CCV. Annates induxit.	1389.

*De alijs circa Pont. moribus introductis eius-  
demq; Electione.*

Atque hæc quidem ex multis pauca sunt, quæ breuiter  
hæc commemoranda putauimus, de Pontificum constitu-



tionibus; nam alia pleraque his consimilia, moribus, ut diximus, introducta sunt, & ad ipsos Pontifices in primis pertinentia maximè illud, quod statim à principio dignitatis suæ, & ante ipsam inaugurationem adeo, nomen plerique mutare consueverunt, quæ res à Sergio II. initium habuit, qui cum prius Os porci diceretur, ad nominis eius obscenitatem tollendam, aliud sibi honestius optare iussus est: manente inde licentia nominis pristini deponendi, atque aliud quodcumque libitum eligendi, etiam in posteros. simile est, quod humeris hominum sublimis Pontifex gestari solet, nam & hoc inde ortum videtur, quod cum Stephanum II. ob egregias virtutes sibi eximie carum populus recter in Pontificem electum exultabundus in humeros suos sublatum in ædem Seruatoris ad Lateranum deportasset, successores quoque eius eundem sibi honorem habere æquum existimarent. præterea sciens, & pedum venerabundam osculationem, & infinita alia, quæ quod à vulgari notaque causa summa reuerentia testatidæ nata, ad nos perdurarunt, peculiaribusque adeò libris tractatu accuratiore excutiuntur, summa rerum fastigia sequenti silentio transmittenda potius, quam parum plenè examinanda duxi, transiturus iam nunc ad alia, nisi verbo etiam prius de iure eligendi Pontificem admonendum Lectorem existimarem: quod quidem ad Constantinum Magnum vsque penes Collegium sacerdotum Romanorum fuit, veniens inde ex parte in populi quoque Romani potestatem, sed sic ut Imperatori probata demum ab utriusque facta electio rata esset, hocq; duravit ad annum 685. quo tempore potestas integra hæc sacerdotibus, populoq; Romano remissa est à Constantino IX. Imp. quod tamen non diu obtinuerint, more confirmandi Pontificem, mox ab Orientalibus Imperatoribus, ad Occidentales, Carolum Magnum, & posteros eius translato: donec postremo anno 1054. Nicolatus II. ad Cardinales suos Pontificem electionem traxit. quod hodieque durat. nam licet tum quoque



quoque electio talis, tam à sacerdotibus, quàm à populo Romano comprobanda esset, possentq; creari Pontifices etiam illi, qui Cardinalitii non essent Collegii, vtrumq; tamen breui post tempore antiquatum est.

*De Cardinalibus, eorumq; origine.*

Cardinales cœperunt (Francisco Zabarello & Martino Cisterciensi historico auctoribus) anno 231. sedente nempe Pontiano, cuius temporibus iidem aiunt Romæ sacerdotes Cardinales fuisse CCXXXVI. Certè anno 267. Marcellus p. m. qui ritulos presbyteris diuisit, constituissè legitur Cardinales XV. qui mortuos sepelirent, & infantes baptizarent. Hæcque vera est, consentientibus etiam Bithynico thecario, Damaso, & Platina, origo Cardinalium, sic appellatorum, vt ventos Cardinales dicimus: quòd nempe fuerit sacerdotes eximii, eorumque primarii essent. licet Canonistæ in c. factos sancta ad finem 21. distinction. itemque in c. vbi periculum. §. hoc fact. de elect. lib. VI. à cardine dictos velint, quia vt cardine ostium, ita Ecclesia bono eorum consilio regatur: prætereo alios, qui etiam his alieniora fortasse somniant, scapos Cardinales, trabes Cardinales, tigna- que adeò Cardinalia ex Vitruuio crepantes, quæ ego præter rem esse certo persuasum habens, eò reuertor, vt, quod verum est statuens, nihil aliud primò Cardinalem diu fuisse asseram, nisi cui ante alios cura animatum mandata esset: attestante hoc mihi præsertim Gregorio Magno multis locis libri primi Epistolarum suarum. sed etiam Bonifacius III. ab Imperatore Phoca impetrasset, vt in omnes Episcopos prerogatiuam haberet: cœperunt Cardinales quoque paulatim in eandem amplitudinem excrescere, cuius hodieque sunt: obtentò post varias contentiones Imperatorum, & populi Romani de Pontificis electione, eius per se creandi primùm iure, & inde accepta anno ferè MCCXLIV. ab Innocentio IV.



potestate equo, ac galero rubro vtendi, in illud argumen-  
tum, oportere eos pro religionis defensione sanguinem  
suum effundere, si ita res postulet, debere semper esse pa-  
ratos, addidit deinde Paulus II, vestem quoque coccineam.  
Cœpitque Ordo eorum in tria genera sic diuidi, vt alii E-  
piscopi sint Cardinales, & ii quidem numero sex, Ostiensis,  
Sabinienfis, Portuenfis, Tusculanus, Prænestinus, & Alba-  
nenfis: alii Presbyteri, alii rursus Diaconi; neutrorum ta-  
men certo definito numero.

*De Episcopis, eorumque origine & officio.*

*Vide L. ult.  
D. de mun.  
& de honor.  
Itemque epi-  
stolam VII.  
lib. X. Cice-  
ron. ad Atti.*

Episcopus Græca vox est, idem ferè apud illos sonans,  
quod apud nos Speculator, proprieque vt Martianus scri-  
bit, ii dicuntur Episcopi, qui præsumt panis, ac cæteris rebus  
venalibus, quæ populis ciuitatum ob quotidianum victum  
necessariæ sunt. Vnde Pontificibus id nomen inditum par-  
est credere, quia quemadmodum illi quæ ad vitam huma-  
nam sustentandam pertinet, procurare debent, ita horum  
vigilando, docendo, benè agendo, animarum salutem consu-  
lere interest. id quod vel Clementis I. Pontificis declarat  
præscriptum, qui fertur decreuisse, vt Episcopalis Cathedra  
in eminentiore templi loco collocaretur, sicut hodieque  
seruatur, vnde Episcopus vndique speculari posset. Cate-  
rum olim Episcopi vocabantur Presbyteri, teste non vno  
in loco D. Hieronymo, & præsertim in epistola ad Eua-  
grium, vbi dicit quæ de causa Episcopi primum esse cœpe-  
rint, ita scribens: Quod autem postea vnus electus est, qui  
cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est,  
ne vnusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet:  
nam & Alexandria à Marco vsque ad Dionysium, Presby-  
teri semper vnum ex se electum Episcopum nominabant:  
quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi e-  
ligant de se, quem industrium nouerint, & Archidiaconum  
vocat. Quid enim facit, excepta ordinatione Episcopus,  
quod Presbyter non faciat, &c. ex quibus verbis etiam il-  
lud discimus, creandi Episcopi ius etiam penes sacerdo-



res olim fuisse, quod adeò verum est, vt soli primùm diu, inde communicata hac cum plebe potestate, quem vellent Episcopum sibi Presbyteri, & Diaconi optarent: qui mox à ceteris prouinciæ eiusdem Episcopis, ex præscripto Niceni Concilii initiabatur. Quorum vtrumque nunc in Pontificis manu est, post multam & variam alternationem in hac re, dilcepcionesque non paruas, qui & creat Episcopos, & consecrat, vel secundum præceptum Niceni conuentus initiari curat. Nisi quòd etiam hodie hic Reges, & populi nonnulli hoc ius Pontifici integrum & illibatum manere non sinunt.

*De Patriarchis.*

Patriarchæ primis temporibus per aliquot 400. annos dicebantur iidem, qui & Metropolita, & Archiepiscopi, & Primates, à primitiua Ecclesia protostaminum loco instituti, teste Platina. hodie verò Patriarchatus honos peculiaris est, datumque à Clemente I. Patriarchis pallii ius, statutumque vt Crux ipsis præferretur: quibus nunc insignibus ab aliis Episcopis differunt.

*Vide concilium Constanti- nopol. 2. can. 36. & Iustini- niani nouel- lam 123.*

*De ordine Monastico, variisq; in eo familiis.*

Monachorum vtriusque sexus institutis originem ferè dederit cum magni illi viri, Paulus, Antonius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, cum plerisque aliis, tum primariæ femina, Marcella, Sophronia, & Paula, nisi quòd monialium origo etiam paulò altius, quàm ab his repetenda ex eo videtur, quòd cum has vixisse, & velum sumissee constet, Pontifice Liberio, Imperatoribus verò Constantino I. Constante, & Constantio, sub annum ferè 35. decreto Soteri Pontificis, qui secundo loco Pii successor fuit, regnante Antonino, anno 170. ferè cautum legimus, ne monacha vllam pallam, vt vocant, attrectaret, neue thus in accerram poneret, dum sacra peragerentur: vnde apparet, iam ab ipsorum Apostolorum propè temporibus monialium instituta cœpisse, ideoque monachorum quouis ge-

*Anno Christi. 254.*

kkkk



nere antiquiora, quos ortos Paulo, Antonio, & reliquis, quos supra memorauimus, constat. qui viri sanctitate polentes, veluti nouæ religionis planta in Ægypti, Syriaque quamuis sterili solo feliciter increuere, nullo tamen adhuc certo viuendi ritu. Nam id temporis huius vitæ genus simplex, ac liberum erat, vt istis cærimoniis minimè obstructis, quas hodie monachi obseruant. Vestitum decentem pro iure suo quisque sumebat: itemque nullum votorum vinculum, ita vt integrum vnicuique foret, manere, aut proficisci quo terrarum vellet: vel si quem eiusmodi sui instituti pœnituisset, etiam potestas esset ad pristinam redeundi vitam, non absque tamen inconstantia nota. Petebant autem loca vt plurimum deserta, hoc est, eremum, vnde Eremita dicti, quasi eremum colentes, quos Græci Anachoretas vocant: & quia soli vitabant, ideo nostri Monachos nuncuparunt, id est, solitarios, atque hi à principio precibus, ieiuniis, vigiliis, literarumque studiis dediti, procul ab omni hominum cœtu, tantum duriter victitando, ac se manibus exercendo, exemplum benè viuendi omnibus edebant. libri tamen, vt diximus, & sui arbitrii, donec primus Basilius Cæsareæ Cappadocum Antistes, circiter annum salutis humanæ; 83. obligauit Monachos, vt post annum, quam quis in Collegium venisset, si in eo vitæ instituto vellet permanere, voueret, se castè victurum, nihil possessurum, ac dicto prefectorum fore audientem, quo se in perpetuum propria omni abdicarent voluntate. post quod tempus & Benedictus (quem Patrem Monachorum vocant, quod primus in Occidente dispersos Anachoretas collegerit) multa in super iisdem obseruanda addidit, in vestitus genere, precandi ratione, & abstinentiæ norma, causamque dedit, vt paulatim in plures familias diuisi, certa & peculiari quique regula viuere inciperent, alii aliis & auctoribus, & temporibus exorti, perinde vt iam nunc, quam succinctissimè, & verissimè poterit, ordine Alphabetario à nobis dicetur.

*Ambro.*



*Ambrosiani.*

Ambrosiani ab ipso D. Ambrosio Mediolani se institu-  
tos prædicant sub Siricio Pont. anno ferè 287. alii tamen  
reiciunt eos in annum 490. ad Gelasium I. Pont. utuntur  
pullo vestitu. Est & alter eorum Ordo albus, qui candidis  
tunicis rubeam chlamydem superinduit.

*Antoniani.*

Antoniani Eremitæ ab ipso quoque S. Antonio sese  
originem habere dicunt, quem obiisse constat circiter an-  
num 361. cum vixisset ad sextum supra centesimum an-  
num, pane, sale, & aqua vitam tolerans. quod imitantes, sed  
iam ad paucos redacti discipuli ab eo nomen habentes, in-  
stituti sunt anno ferè 1220. Sunt item & alii Antoniani à  
Sancto Antonio Viennensi constituti, quibus pro tessera  
est porcellus.

*Augustiniani.*

Augustiniani tam Eremitæ, quàm regulares Canonici,  
& ipsi quoque strenuè Augustinum caput, & auctorem  
Ordinis sui asserunt: confirmantes hi (nam de illis mox di-  
cemus) se in Hipponensi ciuitate, ubi Episcopum agebat, à  
Magistro Augustino institutos, anno Christi 394. à quo  
etiam in vestem acceperint tunicam candidam, cum lintea  
toga, sub nigro pallio, & tegumentum à scapulis impositum  
cervicem totumque contegens caput, præterquam à fron-  
te. à quo tamen habitu, ne Eremitæ quidem Augustiniani  
valde diuersi abeunt, nigra tunica videntes, & concolor te-  
gmen à scapulis ad caput inducentes, subterque candidam  
tuniculam scortea cingentes zona, bubulo cornu fibulata.  
licet hos ex quatuor mendicantium familiis ætate primos,  
plerique non ab Augustino, sed ritu & legibus eius à Redo-  
ne quodam Montigranelli Comite ad Fesulas initium ce-  
pisse velint, Gregorio XII. probante. Sunt & alii Augusti-  
niani Ordinis diuersis nominibus vocati, de quibus alio  
nobis loco memorabitur.

kkkkk 2



*Basiliani.*

Basilii Ordo cœpit, vt, & quemadmodum iam supra regulimus in Oriente, circiter annum trecentefimum octogefimum tertium.

*Benedictini.*

Benedictini auctorem suum laudant Benedictum, qui anno ferè 526. dispersos monachos congregauit Cassini, tribusque à Basilio excogitatis votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ adstrinxit, addito singulari vestitus genere, modo orandi, ac abstinentiæ norma, sanciensque vt vestirentur colore nigro, tunica laxiore, & ad pedes demissa, amictu capitis, quem cucullum vocant, in humeros, & scapulas reiecto breuius, quàm cæteris: subter autem candidam laneam tuniculam, & cilicium gestarent, cœreati genuum tenuis, præterea tonderi iussit nouacula à vertice infra dimidium caluæ, capillo infernè reciso in parui circuli speciem circa aures & tempora totum ambiente caput, instar coronæ, vnde & ipse vertex derasus corona nuncupatur. atque hi sunt sic primo ab auctore suo instituti, qui mox mutata, addita aut detracta aliqua re in vestitu, aut viuendi legibus, in varias abiere familias, nomine Cluniacensium, Camadulensium, Vallisumbrensiū, Montoliuentensium, Grandimontensium, Cysteriensium, Syluestrensiū, seu Humiliatorum, Cœlestinorum, monachorum D. Iustinae, Eremitanorum D. Hieronymi, per Martinum V. Pont. in familiam D. Benedicti adscitorum. de quibus singulis suo demiceps loco diceretur, nunc redeo ad eos, qui Benedictinorum quoque retinentes nomen, vt alii volunt ad D. etiam Benedicti, vt alii ad D. Hieronymi, vt nonnulli ad D. Augustini gregem pertinent: exorti primùm in Italia, auctore nescio quo Petro, anno 1408. sub Alexandro V. Pontifice, qui vestitu Benedictinorum in totum penè vtentes, hoc ipso stirpem se Benedicti potius, quàm vel D. Augustini, vel D. Hieronymi, esse attestantur.

*Bernar-*



*Bernardini.*

Bernardini, siue Bernardina, dicti sunt ab auctore familiae Bernardo, Burgundo, qui huius sui Ordinis sodalitates centum sexaginta constituisse fertur Gelasio II. Pontifex, anno 1100. vel ut scribunt alii Calixti II. temporis, id est, anno 1120. nihil differunt à Cisterciensibus, nisi habitu nigro.

*Vide Guilielm. Abbatē vitæ S. Bern. scriptorem.*

*Bogardorum.*

Bogardorum Albatorum seu Alborum Spirituum Ordo Bonifacio IX. Pont. institutus fertur, id est, anno ferè 1389. Antiqui alii etiam Bogardi atricolores, sed de quorum origine & auctore inter scriptores non satis constat.

*Bonorum virorum.*

Bonorum virorum Ordo auctorem habet Richardum Comitem Cornuualia, in Anglia stirpe regia ortum, Alexandro IV. Pontifice, & anno 1257.

*Brigidani.*

Brigida Ordo à Brigida vidua Suetia Principe ortus, incipit sub Urbano V. Pont. instituto, ut Cœnobium utriusque initiatorum sexui commune foret, murorum tamen, & ad aspectus separatione sic diuisum, ut virgines superiora habitarent, monachi verò inferiora. templum item pari modo commune, omnibus autem Abbatissa præesset, quod institutum non ipsius inuentionis fuit, sed primùm auctore Basiliorum Græcia exortum, mox antiquatum est, quia moniales in talibus monasteriis suspitionibus obnoxia erant, donec ab hac, ut diximus, Brigida, cum religionis causa urbem, & sacra Petri & Pauli limina adisset, instauratum est. huius autem Ordinis alii cineraceo vestitu, cui supra ventriculum est effigies atræ crucis, amittuntur, alii (in plures enim cohortes, quæ diuersis inter se tessera dignoscuntur, distributi sunt) fuliginei incedunt, rubra cruce, quam circulus complectitur, insigniti.

kkkkk 3



*Celestini.*

Anno Christi  
1294.

Celestinorum religio cœpit auctore Celestino V. Pont. qui & ante, & post Pontificium, quod sponte resignavit, Anachoreta fuit, à Clemente V. anno postea 1305. in duorum numerum relatus: vtuntur carulei coloris vestibus, in reliquis Benedictinorum regulam seruantes.

*Camalduenses.*

Camalduenses orti auctore Romoaldo Rauennate in iugis Apennini. nomen acceperunt, vt Polydoro Virgilio placet, à Madulo quodam Apenninicola, qui locum eis cœssit: quod tamen si verum est, potius videbitur, vt Camalduenses dicantur, quo pacto etiam alios eos appellare vido. hi vestitu albo antea inusitato vtuntur, cœperuntque vt vult idem Polydorus cum aliis multis, anno 1416. vt quidam 1017. vt Sabellicus 1030. vt Æneas Syluius, anno 1058. sub Damaso II. Pont.

*Canonici.*

Vido Volat.  
lib. 13. c. 15.

Canonicorum Regularium multa sunt & diuersa genera, de quibusque etiam ex parte diximus, cum de Augustinianis ageremus: hic reliquos prosecuti, quorum primi ferme fuerunt, qui Hierosolymis à quodam Arnolpho instituti sunt sub annum 1056. eosque sequuntur illi, quos in oppido Bellouacensi à S. Iuone principium accepisse legimus circa annum, nisi fallunt fasti 1080. tertii sunt, qui vigesimo ferè post anno in Gallia, Germania, Italia à S. Ruffo originem habent. ab his illi numerantur, quos in Italia prope Lucam constituisse dicitur Iacobus Bergomensis anno 1407. sunt & alii, sed cum certis & peculiaribus quoque nominibus distinguantur, idoneo loco commemorandi.

*Carmelite.*

Carmelite dicti à Carmelo Syriae monte, in quo orti sunt: hi & D. Virginis Monachi vocantur, quod in eodem monte



monte Deiparæ fanum fuerit, vbi prima illorum Cœnobii  
 fundamenta iecit Almericus Antiochenus Episcopus, qui  
 primus dispersos in hoc monte Anachoretas congregavit,  
 sub Alexandro III. hoc est, vt rectè ratiocinatur Polydorus  
 Virgilius (malè enim alii annum 1216. ponunt) 1170. quo-  
 rum tamen quadragesimo fermè post anno sub Innocen-  
 tio II. leges viuendi mutarit Albertus Hierosolymitanus E-  
 piscopus, dato illis pallio versicolore, ex albo, & canusino,  
 quod successor Innocentii III. Honorius & ipse III. eius  
 nominis Pont. eis ademit, albo ex toto pro eo attributo,  
 quod minus rectè quidam Innocentio IV. adscribunt. flo-  
 ruitque hic Ordo maximè Clementis V. & inde Ioannis <sup>Anno 1305.</sup>  
 XXIII. vel vt alii XXI Pontificum temporibus, qui illum <sup>non vt malè</sup>  
 impensè fouerunt. est autem & hic vnus ex quatuor men- <sup>alii 1286.</sup>  
 dicantibus.

*Carthusiani.*

Carthusiani cœpere anno 1080. siue vt alii censent (ne- <sup>Sub Gregor.</sup>  
 que enim illos audiendos puto, qui sub Lucio III. Pont. de- <sup>VII. Pon.</sup>  
 mum, hoc est, anno 1186. or. os volunt) 1086. Victore III.  
 Pontifice dicti à loco, in quo ab Hugone Gratianopolita-  
 norum Episcopo, auctore Brunone quodam ex Agrippina  
 Vbiorum Colonia, instituti sunt. vtuntur autem alii atris,  
 alii albis palliis, cilicio interius amicti, carnibus nunquam  
 vescuntur, in cubiculis suis soli edentes, festis quibusdam  
 diebus exceptis. silentiumq; penè perpetuum seruant. lai-  
 ciorum ad cæterorum diferimen barbam nutriunt.

*Cassiniani.*

Cassinensium Ordo, siue S. Iustinæ Parauinæ, ab Ludo-  
 uico Barbone nobili Veneto institutus, auctus est pòstea  
 ab Eugenio IV. Pont. Veneto item: hicque adeò præcisè S.  
 Benedicti instituta obseruare se ait.

*S. Catharina.*

S. Catharinæ Monialium Ordo institutus per Cathari-  
 nam Senensem Martyrem sub annum 1372. vel vt volunt  
 alii, 1455. Nicolao V. Pont. hæ vestem interiorem albam

kkkkk 4



gerunt, eique velum atrii coloris superinduunt, cum capitis tegumento concolore.

*Cellarii.*

Cellarii ita vocati à cellulis, in quibus agris operam dant, & dicti alioqui Visitationis, seu charitatis, siue etiam Misericordix fratres, vel sodales, valetudine affectos quod vivere, mortuosque efferre soleant: interius linteam vestem atrii coloris, exterius fuliginream gestant. hos originem suam ad Apostolica ferè tempora referentes, sed sæpè prope ad nihilum redactos, alii subinde, atque alii instaurarunt.

*Cistercienses.*

Cistercienses sic dicti à loco in quo primùm instituti sunt in Burgundia, siue à Roberto Molismensi, siue ab Ardino Anglo, seu denique, quod magis crediderim, ab utroque, cœperunt sub Urbano II. Pontific. anno 1098. vel 1090. atrii coloris tunicis superinduunt chlamydem albam, & ru-beos gestant calceos, pastorali pedo insignes.

*Vide Sabelli-  
cū, Volater-  
ran. Sigisb.*

*S. Clara.*

Clarae Virginis Ordo cœpit eodem quo Franciscani tempore, hoc est, anno 1197. vel ut alii tradunt 1220. siue etiam ut quidam 1225. quo tempore ea & ipsa quoque Assisias, ut Franciscanorum, seu Minoritarum auctor Franciscus, à quo sibi, suisque viuendi leges accepit, cœnobium velatarum virginum instituit, quas pauperes appellari voluit.

*Vide Volat.  
li. 21. & Sa-  
bellic.*

*Clauigeri.*

Clauigerorum seu S. Petri Ordo binas clauas gestat in-  
textas cucullioni atro, reliquo etiam vestitu concolor. in-  
certum quando & à quo institutus, nil de eo, quod sciam,  
Sigisberto, Volaterrano, Sabellico, Polydoro Vir-  
gilio, aliis memoriarum, historiarumque  
auctoribus tradentibus.

*Clama-*



*Cluniacenses.*

Cluniacenses cœperunt anno 916. Ioanne yndecimo Pont. ab Odone, vel, ut alii, Odilo quodam Abbate instituti apud Maticocensem Burgundiæ pagum, vbi etiam iustum magnificentum extruxit Monasterium Gulielmus Pius Aquitaniæ, siue ut ego potius crediderim, Burgundiæ Dux.

*Constantinopolitani.*

Constantinopolitanorum Ordo incertum mihi quando & à quo potissimum cœptus, vitur veste viridi, & rubra chlamyde, gestatque in pectore duarum crucium imagines, quarum vna alteri implicita est, quasque flauii alii, alii cœrulei coloris prædicant. eadem quoque incertitudine de habitu obtinente, in quo sunt, qui, contra quam supra diximus, chlamydem hanc familiam viridem, interiorem vestitum rubricolorem habuisse asserant.

*Crucigeri.*

Crucigeri, ut ipsi volunt, à Cleto, qui tertius Romæ Pontifex fuit, ut alii, à Syriaco Hierosolymitano Antistite instituti, qui Helenæ Constantini matri locum ostendit, vbi Crux Dominica occultaretur, in huius Crucis honorem iussi sunt ab eodem auctore suo Syriaco Crucem manibus semper gestare. cœperuntque in Italia quoque innotescere, auctore Volaterrano, sub annum 1197. quod tamen alii reiciunt ad tempora Innocentii III. Pont. hoc est, 1215. his, cum iam prope extincti essent, instauratis rursus Pius II. Pontif. Aneas Syluius prius dictus, dedit, ut cœruleo vterentur amictu, cum indiscreti ante coloris vsti fuissent, crucemque à qua nomen haberent, ex veteri suo instituto manibus ferre iussit, quam tamen crucem etiam pallio intextam eisdem eiusdem Pii II. mandato gestitasse, qui scribant, inuenio, cum alii hoc genus ab illo diuersum faciant, qua de re, cum incerta sit, nihil temerè statuendum iudico.



*Dominicani.*

Dominicani auctorem habent S. Dominicum Calagunitanum, qui Pont. Innocentio III. vel, vt alii, successore eius Honorio III. hunc Ordinem instituit, iubens, vt per totum terrarum orbem Euangelium diuulgarent, concionibusq; habendis operam darent: à qua re etiam eos Prædicatores appellauit. vtuntur tunica candida, nigro pallio superiecto, & ab humeris ad caput scapulari tegmine. Horum suo tempore ea incrementa, & fertilitatem fuisse scribit Sabellicus, vt monasteria eorum existerent ad millia quattuor, centum & quadraginta tria, in quibus circiter octuaginta millia huius familiæ Monachorum tum viuerent, non connumeratis, qui in Armenia, & India aberant. nam Pontifices, Cardinales, Episcopos, Abbates, qui ex hoc seminario prodierunt, quid dicam? cum tantus eorum sit numerus, vt veritus, ne cui in suspicionem veniam, tanquam parum certa fide hæc perscribam, malim lectorem remittere ad Gilberti Genebrardi Chronicon, quod in omnium vbique oculis manibusque versatur. eò reuertens, ingentem illam, quam dixi 80000. multitudinem vniuersam quidem S. Dominici propaginem fuisse, sed quæ tamen in duo genera diuideretur, quorum se alterum Cõuentualium, alterum obseruantium nomine appellaret. hoc solis capis, rapis, omniq; olerum genere, & ouis, lacte, ac raphanis vititante, illo etiam communes aliis cibos non alpernante

*Ensiferi.*

Ensiferorum seu spadatorum Ordo gerit binos enses sanguineos intertextos vesti candidæ. quo argumento, aut auctore mihi non liquet, nihil enim de iis historici illi, quos in hac tanta temporis angustia consului.

*Eremitæ.*

Eremitarum Ordinis iam superius inter Augustinianos meminimus, reliqua sunt tamen etiam duo eorum genera, quorum alii à nescio quo, anno 323. sub Syluestro I. Pont.



Pont. institutos se dicunt, vtunturque cinericea veste, comam, barbamque nutrientes: & verè Eremicola, in solitudinibus herbis, herbarumque radicibus victitant: alii Paulinà Paulo, quem primum hoc genus vitæ ingressum fuerunt, dicti, cœperunt in Germania primum, vt magis veri- An. 1215.  
similiter quidam scribunt, sub Innocentio III. auctore Eusebio quodam, vt alii, sub Julio primo, hoc est, circa annum 345.

*Flagellatores.*

Flagellatorum duo sunt genera, quorum alterum hodieque durat, præcipuè in Italia. & Hispania, cœpitque nuper etiam in Gallia, & constat ex iis, qui certis diebus, præcipueque pridie diei Venoris, quem parasceuen dicimus, personati templa frequentantes, voluntariis vulneribus se afficiunt, & terga sua scuticis, virgisque scindunt: alterum eorum, qui quotidianis se flagellis conscribillant, qui que Niniuitarum nomine, quod se Niniuitas pœnitendo imitati dicerent, cum semel extincti fuissent, rursus repullulare cœperunt in Gallia, & Germania, donec anno ferè 1349. iusta multitudo eorum, hoc est, ad 1300. oppressa est à Carolo IV. Imperatore. & Clemente VI. Pont. post quos tamen etiam ipsos subinde, tanquam è cineribus flamma, emicuerunt.

*Forciferi.*

Forciferorum Ordo albatu vnde, & quando cœperit, quærendo adhuc indagare non potui.

*Franciscani.*

Franciscani auctorem Franciscum Assisiatem habent, dicti ab eo Minores: circaque annum 1220. ab Honorio III. Pont. comprobati: vtuntur vna tunica natiui velleris, funiculo præcinguntur: iique qui Observantes dicuntur, carnibus abstinent perinde ferè, vt de Dominicanis diximus,



& crudis omnibus vescuntur, calonesque seu ligneas soleas pedibus inducunt, cum Conuenticales communibus & cibo, & calceis utantur. Exorti sunt & minimi, à Francisco Siculo constituti, siue in Sicilia, siue ut tradunt alii, in Gallia, Calixto III. Pont. anno 1454. qui etiam epulis elixis, aut villo modo coctis non utantur. exorti Capucini, Pauperes, Reformati, Collactanei, Amadeani, Clarani, de quibus (cum eandem D. Francisci Regulam in summa seruent, licet in partibus alii ab aliis differant) non est huius breuitatis sigillatim pluribus differere.

*Fraterculi.*

Fraterculorum Ordinis, in quem omnis sexus, & ætas recipiebatur, originem dicere nihil attinet, cum ex eo nulli hodie supersint, toto eo hominum genere deleto à Clemente V. qui Roma in Galliam secessit.

*S. Georgii.*

S. Georgii prope æstuarium Veneticarum Ordo institutus est ab Laurentio Iustiniano Veneto, Patriarcha Venetorum: intimis vestibus lineum indusium superinduit, cum cucullione atrii coloris. extra monasterium atrii coloris chlamydem adsumit, cum galero concolore. est & alius candidus planè: est & tertius cœruleus.

*S. Gertrudis.*

S. Gertrudis moniales utuntur vestitu atro, & carbaso concolore.

*Gerundini.*

Gerundinorum Ordo ab Episcopo Gerundo excogitatus est, & vestitu candido donatus: in pectorali imagines gerit Episcopi, tanquam tesseram aliquam, tannias quaternas, quarum duæ virides, totidemque rubræ sunt.

*Grandimontenses.*

Grandimontenses sic à monte dicti sunt, in quo in Aquitania à Stephano quodam Aruerni instituti sunt, Urbano II. vel,



vel, vt alii, Alexandro II. Pontific. anno 1016. vtuntur atro vestitu ciliciumque cuti admotum gestant, sine manicis, quod è pilis equinis nigris item contortum est, ita duriter, vt cutem scindat, & corpus pessimè afficiat.

*Gregoriani.*

Gregorianus Ordo à Gregorio Magno Pont. Maximo institutus anno 595. vestitum gerit ceruinum, siue Berici coloris, cui ad pectus crux rubea intexitur, & alit barbam.

*Gulielmita.*

Gulielmitarum Ordo, pertinens alioqui ad Eremitas Augustinianos, auctorem habet Gulielmum Burgundia Ducem, qui cum liberos non haberet, ingentes in eum sumtus faciebat, inducebatq; atricolore vestitu. hunc mox collapsum crexit Ioannes Bonus Mantuanus, & rursus alii Alexandro III. & Alexandro IV. Pontificibus, hoc est anno 1161. & anno 1256.

*S. Helena.*

S. Helena Ordo institutus est post inuentionem Domiticae Crucis, ab inuentrice eius Helena, Constantini Magni matre sub Syluestro I. Pont. anno 335. donatusq; veste alba, & in ea cruce crocei coloris.

*Hieronymiani.*

Hieronymiani, si ipsis credimus, à magno illo Hieronymo & nomen & originem habent, qui circa Bethleem ipse quoq; monasticè vixit, sin aliis, orti sunt prope Fesulas à nescio quo Carolo Florentino, siue (nam hoc quoq; inter auctores non constat) à quodam Rhedone instituti sub Innocentio VII. id est, anno 1405. vtuntur pallio super tunicam rugato, atq; superiore parte à summo ad imum scillo, & scortea zona tunicam succingunt, soleisque ligneis pedes mununt.



*Hospitiorum.*

Hospitiorum heri ab Iginio Pontifice initium habenti qui primus certis caeremoniis hospitia hinc inde, siue agris, siue peregrinis, siue deniq; vtrisque; extracta, dedicari voluit, præfecto cuique vno, qui eius herus diceretur, & habitu nigro amiceretur.

*Humiliati.*

Humiliatorum ordo cœpit in Germania coalescere ex Anno 1189. exsulibus Gallis Cisalpinis, & præcipuè Mediolanensibus, seu 1190. ut ab Imperatore Federico, cui cognomentum Barbarossa, Sabellivus siue, ut alii censent, ab Imperatore Henrico patria sua pulsus: ab eodemque siue Federico, siue Henrico iam placato multis beneficiis affectus est, & tandem ab Innocentio III. anno 1217. comprobatus anno 1200. Vtutur candidis vestibus, etiamq; sub Benedicto VIII. Pont. fœminæ ipsæ (neque enim ab hoc vitæ genere excluduntur) lana ac tela victum quaritant, nihilo segnus inter ipsa opera cum viris, pariter labori alicui intentis manu, precibus vacantes.

*Jesuita.*

Jesuitæ, siue Societatis Iesu Theologi sub Paulo III. Pontifice cœperunt, auctore Egnacio Aiola Cantabro, qui cum homo militaris sub Imperatore Carolo V. multa stipendia fecisset, tandem pertæsus eius vitæ, siue quòd alii Imperatori militandum potius existimaret, qui, quamvis potentissimum Carolum, potentia tamen superaret, hanc sodalitatem instituit, anno ferè 1537. à quo tempore ita illa prodigiosè crescere cœpit, ut totum nunc terrarum orbem prope repleuerit: non contenta Italiæ, Galliæ, Belgicæ, Germaniæ, Hispaniarumq; terminis, sed stupendis navigationibus ad Indos ipsi quoq; Indis ignotos penetrans, vbi alienas à fide nostra gentes, & religionibus Dæmonum mancipatos, Euangelii luce illustrare strenuè conatur.

*Jesuita-*



*Jesuati.*

Jesuatorum siue Iniesuatorum sodalitas cœpit sub Vrba-  
no V Pont. anno 1368. Senis: hi quoq; victum, vt Humilia-  
ti, labore & opera sua quærentes, domesticatimq; collecti,  
acceperunt ab eodem Urbano albam tunicam, & pileum  
quadratum. dicti autem sunt Jesuati, siue Iniesuati, quod  
nomen Iesu crebro in ore haberent.

*Indi.*

Indorum Ordo institutus fuit anno 1506. sub Iulio II.  
Pont & Maximiliano I. Imp. estq; extra atricolor, interior  
albatus, vtpote Carmelitarum propago.

*D. Iosephi.*

Iosephi Ordo vtitur vestitu cinereo, & cucullione can-  
dido. sed quando cœperit non magis habeo dicere, quàm  
quo auctore cœperit.

*D. Lazari.*

Lazari seu S. Magdalena Ordo quo anno, & institutore  
cœperit, vt ignoro, ita illud palam est, duo in genera eum  
diuidi, quorum alii vocentur contemplatiui, incedantq; eum  
interius atri, exterius candidi, & vtantur communi cibo:  
alii actiui, Betico colore gaudentes: & solis bulbis, oleribus,  
aliisq; terrestribus & inemptis victitantes.

*S. Mariae.*

S. Mariae Monachi, qui & serui dicti, auctore Philippo  
quodam Florentino, cœperunt anno 1285. sub Martino  
(minus enim rectè quidam Henricum IV. ponunt) II. dicto  
IV. hi nigrae tunicae ac succinctae nigrum superiniiciunt  
pallium circa humeros in rugas complicatum, scapulari a-  
miclu ab humeris reiecto, & communi more calceantur.  
Est & alius Ordo S. Mariae eorum, qui Montoliretani vo-  
cantur, quos instituit Bernardus Tolona Senensis, cui se so-  
cios multi nobiles adiunxerunt: iiq; toti candidi sunt  
habitu.



*Montolietenses.*

Montolietenses Senenses primùm cœperunt anno 1407. Principe Bernardo Ptolemæo, in colle Senensi vrbi proximo, quem ex Hierosolymitani illius Dominicis vestigiis frequentati nomine appellarunt, candidis sumtis vestibus. Gregorio XII. probante. fuerunt & alii eiusdem nominis multo ante hos, sed quos Bonifacius VIII. Pontif. circa annum 1295. vel 1300. stirpitis deleri curavit institutore eorum Viterbi è medio sublato, qui solo linteamine tectus, sine tibialibus, sine pileo incedebat.

*Nullani.*

Nullanorum Ordo pullo vitur amictu, & atro item scapulari. incertum quando, & per quem institutus.

*Pœnitentes.*

An. 1212. Pœnitentes fœminæ exortæ sunt eodem ferè cum S. Claræ familia tempore, normæ quoq; & vitæ prope eiusdem, nisi quòd in Pœnitentium, seu resipiscentium monasteria integræ à viris non recipiuntur.

*Præmonstratenses.*

Præmonstratenses auctorem habent Northbertum quendam Lotharingum, cœperuntque, vt Polydoro placet, sub Calixto II. vt Volaterrano aliisque sub Gelasio III. Pont. amiciuntur tunica alba, cum linea toga sub candido pallio.

*Purgatoriales.*

Purgatorialium Ordo non ita vetus fertur, sed nuper aded exortus, gestatq; in pectorali crucem rubeam.

*Quietini.*

An. 1523. Quietinorum Ordo Clemente VII. Pont. & Carolo V. Imperat. cœpit, auctore Quieto Episcopo Neapolitano, ex familia Carassarum: qui postea Pontif. factus, Pauli IV. nomen



nomen accepit. vouet solita iam à Basilio vsque monachis vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis: viturque pileolo rotundo, & pallio episcopali, factaque est eius institutio prima Neapoli, secunda Romæ, tertia Venetis.

*S. Saluatoris.*

S. Saluatoris ordo, qui & Quiopetinorum, seu Escopetinum, cœpit auctoribus Stephano & Iacobo germanis fratribus Senensibus, probante eum Gregorio XI. Pont. licet eos alii exortos velint anno MCCCLXVII. Pontif. Urbano V. alii etiam anno MCCCXC. sub Ioanne XXIII. Pontif. auctore quodam Francisco Bononiensi, contra quos vide, & lege quæ scribant Sabellicus, & Volaterranus historici.

*Sclauoniani.*

Sclauonianorum ordo rubeo vitur vestitu, neque quid de eo præterea pro comperto dicam, habeo, non magis quam, de Scotorum ordine, de quo hactenus scio, pullatum eum fuisse.

*Sepulchrales.*

Sepulchralium ordo institutus est, quo tempore Hierosolymæ recuperatæ sunt.

*Seruici.*

Seruorum ordo, siue Seruientium, ad cuius exemplum alter quoque Seruorum ordo institutus fuit. cœpit Honorio III. Pont. anno fere MCCXVII. Vitur tunicis nigris, & alba chlamyde.

*S. Sophia.*

S. Sophiae, siue Gratia ordo albatu, magna cruce rubea signat pectus, cætera quæ ad eum pertinent, historicis, quibus vltus ego, indicta sunt.

*Specularii.*

Speculariorum ordo, sic à speculo, quod gestare solent.



ne habet, dictus, interiore vestitu ater est, exteriori candidus, cruce item, sed nigra, pectus muniens. quo tempore & à quo inuentus incertum.

*S. Spiritus.*

S. Spiritus societas instituta est prope Venetias à Gabriele de Spoletio anno MCCCXVII. inceditque habitu regularium Canonicorum.

*Stellati.*

Stellatorum ordinis alii togati, alii cucullione tecti incedunt, utriusque tamen atrati, cum cruce stellata ante pectus.

*S. Trinitatis.*

S. Trinitatis, seu de Redemptione ordo institutus est, ut quidam volunt, in Hispania à Iohanne quodam anno MEXCVII. ut alii, & in iis Polydorus Virgilius, & Volaterranus, sub Innocentio III. Pontifice ann. MCCXIII. à Iohanne Matta & Felice Anachoreta, accepto ab eodem Innocentio Pont. vestitu candido cruce rubea patirer, & cœrulea insigni: cum mandato, ut stipes vndique emendicaret, quibus captiui Christiani à Turcis, Mauris, cæterisque infidelibus redimerentur, dictique etiam inde monachi de redemptione.

*Vallis Iosaphat.*

Vallis Iosaphat ordo à moniali quadam incertum quando constitutus, utitur veste rubea, nisi quod cucullionem Benedictino similitum gerit, hic iudices constituit in causis matrimonialibus, ad quos cōfugere solent illæ, quas pudicitia ipsarum expugnatores vxores ducere recusant.

*Vallisumbrenses.*

Vallis ymbrosæ ordo, seu, ut malunt, Vallisumbrensi-um, ut quidam etiam, vallis Ambrosii, cœpit auctore Gualberto Florentino anno MLX. sub Nicolao II. prope  
Floren-



Florentiam, vitur partim cineracei, partim cœrulei coloris vestibus.

*Wenceslata.*

Wenceslatarum, siue Vincenslatarum ordo, quando; & à quo initium habuerit, ab historicis in incerto relinquitur, illudque de illis solummodo reperio, albo eos vestitu incedere. cucullione ferè ad eam formam, qua sunt tegumenta capitis, quibus Franciscis mulieribus uti mos est.

*De familiis quibusdam Equitum initiatorum.*

Percursis, quam succinctissime fieri potuit, monachorum monacharumque familiis, illud nunc hic restare videtur, ut de sacra militia initiatis, quando & hi Ecclesiasticorum ordinum pars sunt, paucis etiam disseramus, quod certe non ultra quam huius libelli ratio fert, breuiter sic faciemus:

*Equites Sacrati.*

Igitur Equites sacri primi exorti sunt ad defensionem sacrorum locorum Hierosolymis, circa annum M X C I X: dicti hinc ab aliis Hierosolymitani: nam ipsi se Ioannitas à Ioanne Baptista patrono suo vocari maluerunt. hi candidam crucein pallio nigro intextam ferunt. appellatique sunt mox Rhodii etiam à Rhodo insula, quam anno fere 1308. Turcis eripuerunt, & Clementis V. Pont. permisso sui iuris fecerunt. hicque perpetuum cum Turca bellum gesserunt varia fortuna, donec anno MDXXII. mense Ianuario (postquam frustra diu restitissent, & Christianos Principes omnes, qui se mutuis bellis atterere malebant, legationibus ut sibi & Reipublicæ Christianæ, cuius res ageretur, subueniretur, faugassent) non tam victi, quam prope consumti, insula Rhodo Turcis cesserunt, translatis reliquiis militiæ suæ Melitam, quam pro Rhodo nunc habent: strenue, quo potest, & mari, & terra negocium re-





ligionis, & Reipubl. promouentes, dictique ab hac quoque insula, Melitensis militiae equites. quibus Deus dignam sua virtute fortunam si largiri dignabitur, habebit Christiana Reipubl. non tantum salutis suae, hac parte defensores, sed etiam dignitatis vindices.

*Templarii.*

Post hos non ita diu, hoc est anno M CXXI IX. Pont. Gelasio II. exorti item sunt Hierosolymis Templarii, quibus hoc nomen datum, quod in templi parte habitarent. hi que utebantur candido pallio, cum rubenti cruce, idque pro more habebant, ut Christianos loca sacra obeuntes & hospitio exciperent, & armati in via ab iniuriis & vi latrocinantium, infideliumque tutarentur. qua disciplina cum diu stetit, & iam per totam Europam opibus incliti essent, subito conuicti impietatis, & multorum flagitiorum, iussu Clementis V. omnes ad vnum vbique delitunt: cum ducentis prope annis durassent bonis eorum partim Ioannitis, seu Rhodiis militibus attributis, partim Teutonicis, de quibus iam iam dicam, partim etiam aliis familiis.

*Teutonici.*

Et Teutonicorum quidem religio eodem fere tempore cepit, quo Templarii desierunt, hi que partim horum, partim Rhodiorum militum disciplinam imitabantur: quippe cum & hospitio peregrinos exciperent, & restulante sua cum Rhodiis contra hostes fidei arma coniungerent. dicti, ut quidam volunt, sine à Teutono quodam ordinis auctore, siue ab eo, quod solis ille Teutonibus, ac ne his quidem omnibus, sed iis tantum, qui indubitata nobilitatis parentibus orti essent, pateret: utunturque hi pallio albo, in textam crucem atram habente, & nigra subtus tunica: tum demum in Germaniam transgressi, cum Hierosolymas primum, deinde Ptolemaida etiam Syriae ciuitatem, quo se amissis Hierosolymis receperant, numero-

sa bar-



sa barbaries infidelium expugnasset. in qua quidem Germania mox, ne ocio languerent, Prussiam bello aggressi non prius destiterunt, quam totam eam prouinciam ducto auspicioque suis expugnarunt, incolis ad religionem nostram adactis, & exstructo inde in ea Mariaburgo, quod diu sedes eius fuit, qui vniuerso ordini præest.

*Equites S. Iacobi.*

Equites S. Iacobi in Hispania primo per Petrum Ferdinandum conscribi cœpti, Alexandro III. Pontif. Anno MCLIX. interius atrii sunt, exterius albi, gestantque loco crucis supra ventriculum concham pectinis, fuerunt etiam huius nominis & instituti in Anglia, qui se ab illis prioribus ortos negarent, sed de quibus nihil apud ipsum etiam Polydorum Virgilium, diligentissimum rerum Anglicarum scriptorem inuenire potui.